

quo tempore alter conjux, se absente et ignorante, secundum matrimonium contraxit: quod quidem non videtur fieri aliter posse, nisi vinculum matrimonii in infidelitate initi et consummati dissolvatur et auferatur. Sed eadem semper recurrit superius allata responsio: primum scilicet matrimonium nequaquam dici posse solum a Summo Pontifice, bene vero a jure divino; nihilque in hac re a Pontifice fieri, quam, peculiaribus ita suadentibus circumstantiis, rigorem judicialis interpellationis auferre. Non inficiamus, soluto matrimonio ex capite impotentiae, quae judicetur esse perpetua, si forte contingat, ut post novas nuptias a non impedito conjuge celebratas, conjux ille, qui perpetuo impotens credebatur, subeundis matrimonii oneribus reddatur idoneus, debere alterum illum conjugem, secundo toro relicto, ad primi jura redire, juxta sanctiones canonicas in cap. *Laudabilem*, et cap. *Fraternitatis*, De frigidis et maleficiatis, et can. *Requisivisti*, 33, quæst. 1, præter alia plura quæ legi possunt apud S. Thomam in 4, *Sent.*, dist. 34, quæst. 1, art. 2. Sed hoc ad rem nostram non facit. Matrimonium enim ab impotente, impeditoque contractum, non alia de causa dirimitur, nisi ratione impotentiae impedimentique perpetui; nam si hæc perpetua non essent, sed temporaria, nullus profecto fuisset locus matrimonii vinculo dissolvendo: itaque, impotentia impedimentoque cessantibus, secundi matrimonii nullitas delegitur, et primi stabilitas reviviscit. Contra vero, cum dirimitur matrimonium, vel quia judicialiter interpellatus primus conjux actu recusavit

#### NOMINA AFFINITATIS ET CONSANGUINITATIS

*Vid. verb. AFFINITAS, art. 1, num. 15 et 16.*

#### NOTARIUS.

##### SUMMARIUM.

1. Notarius cum creatur, quid jurare solet? — 2. Notarii quicumque possunt ab episcopo, ut delegato Papæ, examinari, et si non reperti idonei, vel inventi delinquentes, suspendi ab exercitio officii in causis ecclesiasticis ac spiritualibus. — 3. Talis facultas examinandi notarios competit etiam prælati inferioribus, quasi episcopalem jurisdictionem habentibus. — 4. Notarii intra mensem tenentur referre episc. legata testamentor. ad pias causas sub pœna excommunicationis. Unde in *Synod. Diac.* solet reponi inter casus reservatos legatorum piorum a notariis ultra mensem dilata revelatio. — 5. Quid circa hoc disponat concilium Mediolanense? — 6. Notarii tenentur ex officio, etiam nemine requirente, revelare legata pia, alias peccant mortaliter. — 7. Notarii fori ecclesiastici tenentur intra mensem dare copiam appellanti, si petit, soluta mercede congrua; si differunt, privandi sunt officio, et condemnandi ad pœnam dupliis valoris litis dandi pauperibus. — 8. Notarii tenentur intra mensem revelare legata facta fabricæ S. Petri. — 9. Notarii possunt a fabrica S. Petri cogi ad dandum instrumentum legali post obitum testatoris, etiamsi clausum fuerit, data debita mercede. — 10. Notarii quorumcumque locorum tenentur in virtute S. obedientiæ, et sub pœna privationis officiorum, ac so-

Christianam fidem amplecti, aut saltem sine contumelia Creatoris cohabitare, vel quia hujusmodi judiciali interpellationi, Apostolica auctoritate, et ratione circumstantiarum, subrogatæ fuerunt ad eundem effectum extrajudiciales notitiæ, de quibus supra: in hisce casibus, si conversus alteri nubat, secundum hoc matrimonium ita validum et firmum est, ut et ipse ad priorem conjugem amplius reverti nequeat, et primus conjux jus illud omne perdidit, quod in contrahendo priore matrimonio acquisierat. Primum enim matrimonium eo ipso momento, et quidem irrevocabiliter, solum remanet, quo conjux conversus ad alias nuptias cum fidei transivit; sive quia in hanc libertatem vindicatus fuerit jure divino, propterea quod infidelis conjux, judicialiter interpellatus, evangelicæ veritati, aut innocuæ cohabitationi se denegaverit; sive quia peculiare rerum circumstantiæ viam aperuerint indulto Apostolico, quo sublata fuit interpellandi necessitas: quod quidem indultum, cum nulli conditioni sit alligatum, secundi matrimonii validitatem et firmitatem perpetuo asserit, et redditum intercludit ad prima nubia, etiamsi quis probare contenderet, primo conjugi interpellato non fuisse liberum respondere, vel eum jam tunc Christianæ religioni amplectendæ paratum fuisse, imo ante illam diem qua secundum matrimonium a conjuge converso celebratum fuit, ipsum quoque Christo nomen dedisse, et baptismum suscepisse. » *Cit. Synod. diæces.*, lib. xiii, cap. 11, n. 2 et seqq.

lutione dupli, revelare omnes dispositiones in favorem sacre domus Lauretanæ factas, vel faciendas intra octo menses a die mortis disponentis extra Italiam; intra vero, infra tres menses. — 11. Notarii facientes instrumenta usurariorum, seu quorumcumque tales illicitos contractus celebrantium, subjacent pœnis usurariorum ipso facto. — 12. Notarii facientes instrumenta contractuum illicitorum puniuntur exilio perpetuo. — 13. Laici possunt esse notarii in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus. — 14. Notarii seu cancellarii episcopi, licet sint laici, gaudent privilegio fori aliisque exemptionibus. — 15. Episcopus prohibere non potest notariis laicis exercendi officii usum in negotiis et litibus profanis coram iudice laico, neque in ditione temporali Ecclesiæ. — 16. Potest tamen quoad negotia et lites locorum piorum a laicis administratorum. — 17. Item potest quoad contractus personarum ecclesiasticarum super earum bonis patrimonialibus. — 18. Notarii seu cancellarii curiæ episcopalis quam mercedem recipere possunt pro scripturis et instrumentis, ad quæ tenentur, et quibus exemptionibus gaudeant? *Remissive.* — 19. Notarius proprius assumendus est ab episcopo in visitatione personarum cathedralis ecclesiæ, non illi tamen capitulo suspectus. — 20. Episcopus uti potest notar. criminali civitatis, si

it vir probus. — 21. Generales et provinciales religionum creare possunt notarios intra suum ordinem pro causis criminalibus religiosorum. — 22. Insuper et concessione S. Pii V, facta superioribus ordinis Prædicatorum possunt in unaquaque provincia constituere etiam plures fratres sui ordinis ab eis approbatos in notarios publicos pro intimandis mandatis et rescriptis Apostolicis, et datur formula eos creandi. — 23. Inquisitores hereticæ pravitatis possunt creare clericos sæculares et regulares in notarios sanctæ Inquisitionis. — 24. Notarii omnes omnia gratis pro officio sanctæ Inquisitionis expedire tenentur. — 25. Clerici tum sæculares tum regulares an, et quando, et pro quibus possint esse notarii, vel non? *Remissive.* — 26. Notarii seu tabelliones peccant in pluribus casibus, qui assignantur. — 27. Notariatus officium esse vile multi tenuerunt. — 28. Contrarium tamen alii sentiunt, et sustinent notariatum esse officium nobile. — 29. Unde attendenda est loci consuetudo; quicumque enim notarii sunt nobiles, quando loci consuetudo eos non reputat viles. — 30. Talis consuetudo eos non reputandi notarios nobiles viget in civitatibus ditionis Mediolanensis. — 31. Quod etiam procedit in civitate Veronæ. — 32. Dicta tamen consuetudo videtur non posse extendi extra locum aut civitatem, nec ad diversos honores. — 33. Ideoque non venit admittenda ad effectum assumendi habitum religionis Hierosolymitanæ. — 34. Intellige tamen, nisi aliunde probetur nobilitas se-

(1. Notarius, cum creatur, jurare solet: I. Quod conficiet instrumenta et testamenta de quibus fuerit rogatus, nil veritatis taceendo, vel falsitatis miscendo. II. Quod non revelabit quod sibi secreto commissum fuerit, nisi justa de causa. III. Quod non conficiet scienter aliquod instrumentum de contractu usurario, nec de alio quovis illicito. IV. Quod retinebit de omnibus instrumentis et testamentis, quæ dederit, regestum, seu protocollum. V. Quod erit fidelis ei a quo fuit creatus notarius, et admonebit eum de iis quæ sciverit in ejus damnum vergere. VI. Quod nullo odio, vel amore, spe, vel timore officio suo abutetur. Navarr., cap. 25, num. 52; Nicol., in *Floscul.*, verb. *Notarius*, num. 3; Fagnani, in cap. *Sicut te* 8, Ne clerici vel monachi, n. 1.

(2. Notarii quicumque, etiamsi Apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creati, possunt ab episcopo ut delegato Papæ examinari, et si non reperti idonei, vel inventi delinquentes, suspendi ab officio, vel perpetuo, vel ad tempus in causis ecclesiasticis ac spiritualibus. Concil. Trid., sess. xxii, *De reformat.*, cap. 10. (3. Talis facultas examinandi notarios competit etiam prælati inferioribus quasi episcopalem jurisdictionem habentibus. Sic decisum fuisse referunt Sellius, in *Selectis canonicis*, cap. 13, num. 16, et Barbosa ad d. sess. xxii, *De reformat.*, cap. 10, num. 2.

(4. Notarii intra mensem tenentur referre episcopo legata testamentorum ad pias causas sub pœna excommunicationis, et deinceps eorum instrumenta careant fide, si non exsequuntur. Concil. Ravennat. ii, sub Clement. V, cap. 31. Unde in synodis diocesanis solet reponi inter casus reservatos, « Legatorum piorum a notariis ultra mensem dilata revelatio, » uti de facto reperitur

cundum statuta ejusdem religionis, quo casu officium notariatus non derogat. — 55. Notario sibi obviam venienti Carolus V caput inclinavit, et quare? — 56. Notariatus apostolicus conceditur quibuscumque etiam non nobilibus, graduatis, neque constitutis in aliqua dignitate; assignatur taxa, et modus pro illo petendo et obtinendo. — 57. Protonotariatus apostolicus, ut impetretur a Papa, debet persona, pro qua petitur, aut esse nobilis, aut graduata in alia scientia theologica, juridica, aut philosophica, vel esse in dignitate aliqua ecclesiastica; assignatur taxa. Ejusmodi protonotariatum dat etiam dux Sforzia, aut alius; assignatur taxa apud hunc, et modus pro illo petendo et obtinendo. — 58. Protonotarii, an et quando exempti sint a jurisdictione ordinarii, et quibus privilegiis gaudeant? *Remissive.* — 59. Notarii totius status Mediolanensis tenentur serio admonere ac exhortari omnes testatores, ut aliquam legent elemosynam locis terræ sanctæ. — 40. Et sic notarii totius ditionis regis Sardinie pro hospitalibus charitatis, seu respectivæ provincie, ac pro hospitali SS. Mauricii et Lazari. — 41. Et ipsi aliique omnes notarii, sub pœna excommunicationis intra tempus præfixum, tenentur revelare relicta. — 42. Sicut etiam sub eadem pœna excommunicationis, revelare tenentur intra duos menses omnia relicta pro redemptione captivorum. — 43. Alia ad rem, ad num. 55. — 56. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 66.

in synodo Esina acta anno 1683, et in Albanensi edita anno 1689.

(5. Concilium autem Mediolanense i, part. iii, tit. *De piorum locorum administratione* statuit quod notarii intra tres menses a die mortis testatoris sub pœna excommunicationis teneantur manifestare episcopo legata et codicilla facta ad pias causas, et debita mercede accepta, teneantur particulam illam legati descriptam, et sigillo munitam tradere episcopo.

(6. Unde notarii tenentur ex officio, etiam nemine requirente, revelare legata pia: alias peccant mortaliter. Navarr., in *Manual.*, cap. 25, num. 53; Lazar., *Quæst. canonic.*, sect. 3, q. 1, num. 5; Vidal., *De legat.*, inquisit. 1, num. 64; Felix Potestas, tom. I, n. 2547; Monacell., tom. I, tit. 6, formul. 13; n. 8, et tom. II, tit. 14, formul. 1, num. 16, cum pluribus aliis a se citatis; Grassius, *Decis. aur.*, part. i, lib. ii, cap. 127, ubi insuper dicit quod notarii non revelantes legata pia teneantur ad restitutionem.

(7. Notarii fori ecclesiastici tenentur intra mensem dare copiam appellanti, si petit soluta mercede congrua; si differant, privandi sunt officio, et condemnandi ad pœnam dupli valoris litis dandi pauperibus. Concil. Trident., sess. xxiv, *De reformat.*, cap. 20.

(8. Notarii tenentur intra mensem revelare legata facta fabricæ S. Petri. Clemens VII, constit. 8, incip. *Admonet.* (9. Notarii possunt a fabrica S. Petri cogi ad dandum instrumentum legati post obitum testatoris, etiamsi clausum fuerit, data debita mercede. Pius IV, constitut. 6 incip. *Etsi.* (10. Notarii quorumcumque locorum tenentur in virtute S. obedientiæ, et sub pœna privationis officiorum, ac solutione dupli, revelare omnes

dispositiones in favorem sacrae domus Laurentanae factas, vel faciendas intra octo menses a die mortis disponentis extra Italiam, intra vero, infra tres menses. S. Pius V, constitut. 56 incip. *Ad Romani*.

(11. Notarii facientes instrumenta usurariorum, seu quorumcumque tales illicitos contractus celebrantium subjacent poenis usurariorum ipso facto. Concil. Ravennat., iv, sub Joan. XXII, cap. 15. (12. Et concordat l. *Jubemus* 14, § 3, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*, ubi statuitur, quod perpetuo puniantur exilio notarii qui contractus illicitos ausi fuerint conscribere, ibi: « His tabellionibus, qui hujusmodi contractuum vitiorum ausi fuerint instrumenta conscribere, irrevocabilis exsilii animadversione plectendis. »

(13. Laici possunt esse notarii in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus. *Communis*, et patet experientia; pluribus enim in locis actuarii seu cancellarii episcopi sunt laici. (14. Et sacra congregatio Immunitatis pluries decrevit cancellarios seu notarios episcopi, licet sint laici, gaudere privilegio fori, aliisque exemptionibus. *Vide verb. CANCELLARIUS*, a n. 22.

(15. Episcopus prohibere non potest notariis laicis exercendi officii usum in negotiis et litibus profanis coram iudice laico, neque in territorio seu ditione temporali Ecclesiae, quia concilium Tridentinum sess. xxii, cap. 10, *De reformat.*, loquitur solum « de negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus; » adeoque non intellexit de litibus profanis, neque coram laico. Sic respondit sac. congr. episcopo Recanatensi, teste Fagnano, in cap. *Sicut te* 8, Ne clerici vel monachi, num. 66.

(16. Potest tamen episcopus vigore facultatis sibi a concil. Trid., *loc. cit.*, concessae prohibendi notariis minus idoneis repertis, ne in negotiis et causis ecclesiasticis ac spiritualibus suum exerceant officium, ipsis prohibere ne illud exerceant quoad negotia et lites locorum piorum a laicis administratorum. Item ipsis prohibere etiam potest ne illud exerceant quoad contractus personarum ecclesiasticarum super earum bonis patrimonialibus. (17. Sic quoad utrumque censuit sacra congreg. Concilii die 1 Decemb. 1588, apud Fagnan., *l. c.*, num. 67.

(18. Notarii seu cancellarii episcopi, seu curiae episcopalis quam mercedem recipere possint pro scripturis et instrumentis, ad quae teneantur, et quibus exemptionibus gaudeant? *Vide verb. CANCELLARIUS* per tot.

(19. Notarius proprius ab episcopo assumendus est in visitatione personarum cathedralis ecclesiae, non illi tamen capitulo suspectus. Sic decrevit sacra congreg. Concilii apud Barbosam, in *Summa apostolic. dec.*, verb. *Notarius*, num. 7, et *De offic. et potest. episc.*, part. iii, allegat. 73, num. 8.

(20. Episcopus uti potest notario criminali civitatis, si sit vir probus, et advena, et sub quovis praetextu taxam non excedat. Sac.

congr. episcop. in *una Civitatis Castellii* 14 Aprilis 1615.

(21. Generales et provinciales religionum creare possunt notarios intra suum ordinem pro causis criminalibus religiosorum, ita ut illis tanta fides adhibeatur, quanta notario saeculari. *Communis* cum Barbosa *supra conc. Trid.*, sess. xxii, cap. 10, *De reformat.*, num. 4; Portell., in *Dubitis regular.*, verb. *Notarius*, a num. 1; Roderic., in *Compend. quest. regular.*, resolut. 100, num. 1. Insuper S. Pius V, constit. 124, incip. *Debitum pastoralis*, concessit, quod superiores ordinis Praedicatorum, et consequenter etiam alii communicantes in privilegiis cum ipsis, ut notat Ameno, *De poen.*, tit. 1, quaest. 16, n. 135; Matthaeuc., *Officialis curiae quoad praelatum regularem*, cap. 18, num. 38, et alii in unaquaque provincia possint constituere etiam plures sui ordinis fratres ab eis approbatos in notarios publicos pro intimandis mandatis et rescriptis Apostolicis, faciendis instrumentis, et authenticandis transumptis publicam, vel privatam dicti ordinis utilitatem concernentibus. Unde pro talibus notariis creandis datur hic modus et formula. Selectis igitur a praelato religiosi moribus, fide, doctrina et peritia idoneis, ipsi coram eo genuflexi, tactis sacris Evangelii coram duobus vel tribus testibus debent juramentum praestare de fideliter et cum omni integritate dicto officio exercendo, ut infra: « Ego N. promitto et juro Deo omnipotenti, et SS. D. N. Papae N. et tibi Patri, quod meum fideliter exercebo officium in omnibus, et per omnia. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia. » Sic tradit Peyrin. *ad constitut.* 8 S. *Pii V*, num. 9; Matthaeuc., *loc. cit.*, num. 35. Praelatus autem, recepto a notario tali juramento, tradit ei calamus et atramentum dicens: « Accipe potestatem notificandi et intimandi pro ista provincia quibuscumque personis, etiam regibus mandata, indulta ac privilegia Apostolica juxta privilegia ordinis concessa, faciendique publicos actus et instrumenta, etc., in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. »

(22. Testimoniales postea creationis in notarium poterunt dari sub his terminis: « Nos Frater N. Minister provincialis, (si creatio fit a generali, varietur nomen) vigore privilegiorum Apostolicorum, creavimus, et constituimus, ac deputavimus in notarium pro hac nostra provincia R. P. F. N. virum moribus probatum, fide et virtute idoneum ad intimanda, et notificanda quaecumque indulta, etc., faciendae quaecumque instrumenta, et authenticanda transumpta, etc., recepto prius ab eo coram nobis genuflexo corporali juramento fidelitatis, tactis sacris Evangelii coram infrascriptis testibus. In quorum, etc. Dat., etc. » Deinde fiant subscriptiones, et juxta hanc formulam, variatis variandis, dari poterunt litterae patentes. Sic apud Matthaeuc., *loc. cit.*, n. 35 ad 37.

(23. Inquisitores haereticae pravitatis possunt creare clericos saeculares et regulares

in notarios sanctae Inquisitionis pro causis ad eam spectantibus. Alexander IV, const. 22, incipient. *Ne commissae*. (24. Notarii omnes omnia gratis pro officio S. Inquisitionis expedire tenentur. Clemens VIII, constit. incip. *Sanctissimus*.

(25. Clerici tum saeculares, tum regulares, an et quando et pro quibus possint esse notarii vel non? *Vide verb. CLERICUS*, art. 3, n. 64.

(26. Notarii seu tabelliones in pluribus peccant. 1° Si sine sufficienti peritia suscipiant officium. 2° Si juramentum violent. 3° Si in depositione testium aliquid notabile, et momentosum addant, vel detrahant. 4° Si ministro scriptoribus (cum erroris periculo) examen committant. 5° Si protocolla, et acta negligenter custodiant cum damno partium. 6° Si differant causarum expeditionem, ut pecuniam extorqueant. 7° Si testamentum scribant hominis ratione destituti. 8° Si testes falsos admittant. 9° Si solemnitates necessarias ex ignorantia culpabili, vel malitia praetermittant. 10° Si testimonium aliquid necessarium unius rogatu, et alterius damno non exhibeant. Si faciant instrumentum usurarium, vel falsum, praesertim in damnum tertii. Si faciant, ut processus et causae veniant ad alios iudices, vel referentes, etc. quomodo illius tribunalis postulat, quia multum interest habere hunc, vel illum iudicem. 11° Si secretum violent v. gr. aperiendo parti adversae dicta testium ante eorum publicationem. 12° Si parti petenti instrumenta occultent, praesertim, quae continent legata. 13° Si acta occultent, vel parti petenti transumptum processus negent. 14° Peccant graviter, si amisso instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingant. Sic litteraliter Busemb., lib. iv, cap. 3, art. 4, dub. 4, n. 4, et concordant alii communiter.

(27. Notariatus officium esse vile multi doctores tenuerunt, et multis annis fuit administratum per servos publicos, donec prohibitum fuit; unde notarii appellati fuerunt ab aliquibus personae viles, et abjectae. Rota, par. i *Recent. dec.*, dec. 504, num. 3; Fagnan., in cap. *Sicut te*, 8. Ne clerici vel monachi, num. 14, cum aliis ibi citatis. (28. Contrarium tamen alii sentiunt, et sustinent notariatum esse officium nobile. Rota, part. i, *Recent. dec.*, dec. 297, n. 4, et dec. 504, n. 4, et part. vii, dec. 258, n. 6. (29. Unde attendendam esse loci consuetudinem, et quoslibet notarios esse nobiles, quando loci consuetudo eos non reputat viles, censuit Rota, p. i *Recent. dec.*, dec. 504, num. 6. (30. Talis autem consuetudo viget in civitatibus ditionis Mediolanensis ubi notarii admittuntur ad decurionatus et collegia, atque ad alios honores. Rota, part. i *Recent. dec.*, dec. 297, n. 5, et dec. 504, n. 6 et seqq. (31. Quod etiam procedit in civitate Veronae. Rota part. xiii *Recent. dec.*, dec. 213, num. 13. (32. Dicta tamen consuetudo non videtur posse extendi extra locum, aut civitatem, nec ad diversos honores. Rota, part. i *Re-*

*cent. dec.*, dec. 297, num. 6, et dec. 504, num. 7. (33. Ideoque non venit admittenda ad effectum assumendi habitum religionis Hierosolymitanae. Rota, *ibid.* (34. Intellige tamen, nisi aliunde probetur nobilitas secundum statuta ejusdem religionis, quo casu officium notariatus non derogat. Rota, *ibid.*, et n. 8, et par. xiii, dec. 213, n. 12.

(35. Notario sibi obviam venienti Carolus V caput inclinavit, asserens posse illum renuntiationem sui imperii rogare, testibus Cotta, in *Memorabil.*, verb. *Notarius*; Fontanell., *De pact. nupt.*, claus. 5, gloss. 10, part. i, n. 65; Arbuse., in suis *Facibus*, fol. 75, n. 50, et Ursaya, in *Miscellan. sacro et profano*, litt. N, n. 16.

(36. Notariatus Apostolicus conceditur quibuscumque etiam non nobilibus graduatis, neque constitutis in aliqua dignitate. Taxa cum Agentia sunt 4 scuta 50 bajocchi. Romae petitur hoc modo: « Petitur notariatus Apostolicus pro N. N. diocesis N. presbytero, vel canonico, etc. »

(37. Protonotariatus Apostolicus, ut impetretur a Papa, debet persona pro qua petitur aut esse nobilis, aut graduata in aliqua scientia theologica, juridica, aut philosophica, vel esse in dignitate aliqua ecclesiastica. Taxa sunt 24 scuta. Ejusmodi protonotariatum dat etiam dux Sforzia, aut alius. Taxa apud hunc sunt 6 aut 7 scuta, et 50 bajocchi. Modus petendi est iste: Petitur protonotariatus Pontificius (vel ducis Sforziae) pro N. N. diocesis N. canonico ibidem, vel nobili, vel magistro philosophiae, etc. Sic tradit La Croix, lib. vi, part. iii, sub n. 931.

(38. Protonotarii, an et quando exempti sint a jurisdictione ordinarii, et quibus privilegiis gaudeant? *Vide verb. PRONOTARIUS*.

(39. Notarii totius status Mediolanensis juxta ordines regis catholici ad decretum renovatum sub die 22 Julii 1679 et mandato excellentissimi illius gubernatoris denovo promulgatum sub die 18 Augusti 1695 in omnibus testamentis, ac illis ultimis voluntatibus, de quibus rogati fuerint, tenentur serio admonere, et exhortari testatores, ut aliquam legent seu relinquunt eleemosynam pro conservatione, et manutentione sanctorum nostrae redemptionis locorum Jerusalem. (40. Et notarii totius ditionis regis Sardiniae, ut ex ejus regis constitutionibus tit. *De notariis*, cap. 5, n. 2, jubentur similiter serio admonere, et exhortari dictos testatores, ut aliquam legent eleemosynam hospitalibus congregationum charitatis loci, aut provinciae, ubi reperientur, ac hospitali SS. Mauriti et Lazari. (41. Et ipsi, alique omnes notarii, sub poena excommunicationis intra tempus supra n. 4, 5, 8 et 10 assignatum, tenentur revelare episcopo, seu aliis ad id deputatis, dicta, aliaque omnia pia legata.

(42. Sicuti etiam sub eadem excommunicationis poena revelare tenentur intra duos menses a die rogationis, aut obitus testatoris omnia relicta pro redemptione captivorum,

ex constitutione Clementis VII incip. *Exponi*.

(43. Notarii exsequentes litteras Apostolicas offendi prohibentur, sub pœna excommunicationis in bulla Cœnæ. Benedict. XIV, tom. I, constitut. 14, incip. *Pastoralis*, § 13.

(44. Notarii expedientes inhibitiones vigore appellationis in casibus non permissis, infamiam, et inhabilitationem incurrunt et pœnas pecuniarias. Idem const. 48, incip. *Ad militantis*, § 40. (45. Item expedientes monitoria in causis ultra montes absque speciali iudicis rescripto. Idem, *ibid.*, § 47.

(46. Item recusantes exsequi citationes, et mandata Sedis Apostolicæ, et curiæ Romanæ, vel alias executiones impediens. Idem, constit. 42, incip. *Pastoralis regiminis*, § 8.

(47. Notarii, quorum opera, et scientia Judæi conversi libelli repudiū dederint conjugibus in Judaismo remanentibus, puniantur pœnis pecuniariis, et etiam aliis. Idem, tom. II, constit. 38, incip. *Apostolici ministerii*.

(48. Terminus mensis a concil. Trident., sess. 24, c. 20, vers. *Præterea*, præfixus notario suffraganei ad dandum acta, potest a metropolitano abbreviari. S. congreg. Concil. in *Castren.* 31 Augusti 1605, apud Nicol., in *Lucubrat.*, tom. II, lib. II, tit. 28, n. 82, et apud Joann. Baptistam Pittonum *Constitut. et decision. ad episcopos*, tom. I, n. 635.

(49. Non potest episcopus præcipere, ut iudices synodales in causis sibi delegatis uti tantum debeant opera notariorum curiæ episcopalis. Sac. cong. Concil. in *Pistorien.* 13 Novembr. 1627, apud Nicol., in *Floscul.* verb. *Judex*, n. 25, et in *Lucubrat.*, t. II, lib. I, tit. 29, n. 13, et apud Pittonum, *loc. cit.* n. 982.

(51. Instrumentum depositi rogari potest a quolibet notario ad arbitrium monialium, dummodo exhibeatur copia authentica in cancella episcopali. Sac. congreg. Episcoporum. in *Aquilana* 8 Novembr. 1612. *Vid. supra* verb. *MONIALES*, artic. 2, num. 21 et 22.

(51. Notarius exsul ab urbe ob defectus in officio commissos, non debet admitti in tribunalibus ordinariorum. Sac. cong. Episc. in *Interemnen.* 6 Septembr. 1613, apud Nicol. in *Floscul.*, verb. *Notarius*, n. 18, et apud Pittonum, *loc. cit.*, in. 133.

(52. Non potest episcopus prohibere, ne cæteri notarii, præter solum cancellarium episcopalem possint rogari de instrumentis, quæ commodum locorum piorum concernunt. Sac. cong. Immunit., in *Tudertina* 20 Decemb. 1667, apud Pascuc., in *Compend. ad consulat.*; Pignatell., part. I, tit. *De immunitat. eccles.* pag. 442, et apud Pittonum, *loc. cit.*, n. 1588.

(53. Notarius episcopi non potest assistere simul cum eo electioni abbatissæ in monasteriis subjectis regularibus, nec, durante scrutinio, permanere intra ecclesiam: Sac. congreg. Conc. in *Tiburtina* 26 April. 1727,

ad 2 et 3 dub. *Vid.* tom. III, verb. *ELECTIO*, art. 4, n. 100.

(54. Notario curiæ episcopalis non tenentur uti conservatores regularium, sed possunt assumere quemcumque sibi bene visum. Sac. cong. Concil. in *Ferentina* 17 Decemb. 1667. *Vid.* tom. II, verb. *CONSERVATORES*, artic. 2, n. 22.

(55. Notarius, seu cancellarius curiæ episcopalis non debet admitti ad conscribendum actum electionis abbatissæ monasterii subjecti regularibus, seu notarius, seu secretarius superioris regularis tantum. Sac. cong. Concil. in *Wormatien.* 17 Septembr. 1746, ad 3 dub.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(56. De attestatione notarii circa rasuram instrumenti non inutile est hic agere.

Rasura instrumenti regulariter suspectum illud reddit. At, si notarius attestet se fecisse illam abrasionem, cancellationem, et interlineationem, cessat suspicio. Borel, consil. 22, n. 21; Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. I, disput. 6, cap. 3, n. 1.

(57. Nota vero, notarium attestationem hanc facere debere *incontinenti*, et ante appositionem signi, non post subscriptionem, nec in margine, quia tunc die, et testibus careret, sed in fine et in corpore instrumenti, quando scilicet illi subscribit, illudque publicat. Stryk., *ubi supra*, num. 2.

(58. Quæstionis vero est, num sufficiat generalis attestatio notarii, an vero opus sit, ut accedat specialis? (59. Placuit autem hæc distinctio, ut si plures in instrumento reperiantur rasuræ, generalis attestatio haud sufficiat, sed exprimi in specie debeat locus particularis factæ rasuræ, cancellationis, vel additionis, in qua videlicet sit linea, in quo verbo. (60. Sin autem unica tantum in scriptura sit rasura, vel cancellatio, satis superque sit generalis notarii attestatio.

(61. Quinimo non desunt qui tenent eam satis esse, si duobus in locis ejusdem instrumenti facta sit rasura. Stryk., *loc. cit.*, num. 4.

(62. De eo etiam hic agendum, an et quando notarius possit corrigere errorem? Porro ex intervallo postquam dedit instrumentum partibus, nequit notarius errorem corrigere propria auctoritate sine iudicis mandato, maxime si ipsæ partes contradicant; idque quia functus jam est officio suo: incontinenti vero posse, non dubitatur. Sed dubium est quando dicatur corrigere incontinenti. (63. Hoc enim in jure sumitur, interdum pro sex diebus, interdum pro tribus, et interdum pro momento. Stryk., *eod. loc.*, n. 2 et 3. Confer. et Bartol., in leg. *Imperator*, ff. *De stat. homin.*, qui latius an et quando notarius errorem corrigere valeat discutit.

(64. Nec incongrue paucis hic disserendum de instrumentis confectis a notario falsi damnato. Juris autem est compertissimi, notarium post condemnationem nequire conficere instrumenta, et confecta nihil valere, licet facta ad pias causas.

Stryk., *loc. cit.*, cap. 5, n. 7; Farinac., *De falsitat.*, quæst. 155, n. 4.

(65. Limitat vero Stryk. conclusionem hanc pluribus in casibus: «Nisi (inquit loco allegato) condemnatio de falso fuerit facta per sententiam publice lectam, sed occulte, et secreta, etc., et nisi extra officium notariatus commiserit falsitatem, etc., vel perfecti si non privatus exercitio Tabellionatus, etc., vel tantum quoad certam speciem

#### NOTORIUM.

##### SUMMARIUM.

1. Notorium quid sit? — 2. Notorium quare dictum? — 3. Manifestum prout distinguitur a notorio, quid sit? — 4. Publicum quid sit, et quando differat a manifesto? — 5. Manifestum quomodo differat a famoso, et rumore? — 6. Fama est duplex, scilicet fama de homine, et fama inter homines, et quæ sit utraque? — 7. Rumor quid sit? — 8. Assignatur differentia inter famam et rumorem? — 9. Rumor est quid minus, quam fama. — 10. Similiter publicum est quid minus, quam manifestum. — 11. Item manifestum est quid minus, quam notorium. — 12. Occultum est duplex, scilicet proprie occultum, et pene occultum, et quid sit utrumque. — 13. Notorium est triplex, scilicet notorium juris, notorium facti, et notorium præsumptionis. — 14. Notorium juris quid sit? — 15. Notorium facti quid sit? — 16. Notorium præsumptionis quid sit? — 17. Notorium facti adhuc est triplex, scilicet notorium facti permanentis, notorium facti transeuntis, et notorium facti interpolati. — 18. Notorium facti permanentis quid sit? — 19. Notorium facti transeuntis quid sit? — 20. Notorium facti interpolati quid sit? — 21. Ad hoc, ut aliquod factum dicatur

(1. Notorium est jus, vel factum transiens in notionem omnium, vel majoris partis eorum. Est in re communis apud Fagnan., in capit. *Vestra* 7, de cohabit. clericorum, num. 68 et colligitur aperte ex cap. *Quæsitum est*, 10, de cohabit. clericorum, ibi: «Notorium per sententiam seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, » et concordat cap. *Cum olim* 23, De verb. significatione. (2. Dicitur autem notorium, quia transit in cognitionem omnium, ut ex Sancto notat Fagnanus *loc. cit.*; nam per majorem partem totus populus representatur, l. *Nulli* 3, l. *Plane* 4, ff. *De regul. juris*, ibi: «Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem.»

(3. Manifestum autem prout distinguitur a notorio, «est publica seu famosa insinuatio, vel proclamatio ex certa scientia, et certis auctoribus proveniens.» Ita in re communis apud Fagnan., *loc. cit.*, num. 55. Dicitur famosa insinuatio, vel proclamatio, quia, ut quid verè dicatur *manifestum*, debet concurrere fama cum veritate. (4. Et ex hoc patet differentia inter *publicum* et *manifestum*, quod scilicet illud dicatur publicum, quod est factum præsentibus multis, sed non est famosum; manifestum vero, quod secum habet famam: arg. cap. 1, *De postul. prælator.*; Fagnanus, *loc. cit.*, num. 56, et alii. Dicitur ex certa scientia, et certis auctori-

ipsi prohibitum exercitium notariatus E. G. in palatio, vel in gabella, etc., vel nisi porro conficiatur inter volentes instrumentum, etc., vel si per principem ad honores, et famam restituatur.»

(66. Illud haud est omittendum, quod notarius instrumentum, quod ante condemnationem celebravit, et nondum publicavit, post condemnationem potest publicare. Stryk.

vere et proprie notorium notorietate facti, sufficit esse factum in præsentia majoris partis populi, seu communitatis, dummodo in tali communitate non sint pauciores homines, quam decem. — 22. Quot requirantur ad constituendum collegium, universitatem, congregationem, familiam, parochiam, turbam, et hujusmodi, *remissive*. — 23. Ad hoc autem, ut aliquod factum dicatur notorium *notorietate facti*, non requiritur quod sit factum in præsentia majoris partis populi, quando populus in aliquo loco, vel civitate est valde numerosus, sed sufficit, quod sit factum in præsentia majoris partis vicinæ, parochiæ, collegii, aut communitatis; respectu cujus dicitur notorium, et in similibus casibus spectat ad discretum judicem declarare, an tale factum sit notorium, vel non. — 24. In factis vere notoriis potest iudex procedere non servato juris ordine, et ea absque alia probatione punire. — 25. Unde ad puniendam delicta notoria non requiritur accusator, vel denunciator, nec libellus, sed potest iudex absque his ex officio procedere contra notorie delinquentem. — 26. Nec requiritur productio, aut examinatio testium. — 27. In veris notoriis nulla datur appellatio.

bus proveniens, ut sic pateat sua differentia a famoso et rumore: nam fama non requirit certam scientiam, sed provenit ex sola suspicione. (5. Nec rumor requirit certum auctorem, sed provenit ex incerto auctore, ut patet ex suis definitionibus mox dandis. Manifestum autem certam requirit scientiam, et certos auctores, qui per certam cognitionem habitam medio sensu corporeo verum testimonium dare possint. Fagn. *loc. cit.*, n. 63; Butrius, et alii ibi citati.

(6. Fama est duplex, scilicet fama de homine, et fama inter homines. Fama de homine, scilicet bona, «est illæ sæ dignitatis status, vita, et moribus comprobatus;» l. *Cognitionum* 5, § 1, *De extraordinariis cognitionibus*, prout originaliter descripsit Gloss. in cap. *Infames*, verb. *Infamia* 3, qu. 47. Fama inter homines, de qua ad præsens, «est publica, seu famosa, et communis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspicione, et certo auctore proveniens.» Ita in re communis apud Fagnan., *loc. cit.* num. 38, per text., in cap. *Sicut nonnulli*, dist. 46, et c. *Sanctum*, in fine, De consecrat., dist. 4; cap. *Cum insinuante*, De purgation. Canonice.

(7. Rumor est «particularis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspicione, et incerto auctore proveniens.» Ita in re communis, apud Fagnan., *loc. cit.*, num. 44, per text. in cap. *Super eo* 3, De eo qui cognovit consanguin. uxoris suæ; cap. *Osius*, De